

temptum persuaderent, litteris prodiderunt Ulysem donatum pretiosissima et odorifera veste a Calypso amica sua, rejecisse eam, ubi se expertus est in aquam prolapsus ab ea magis magisque demergi et gravari, nec enatare posse, Plutarch. leg. de vitanda usura. Hoc autem faciunt divitiarum. Alii virum magnum definierunt, qui eas infra se duceret ac poneret in minimis. Disputarunt philosophi, inquit Theophrastus, coram Philippo Macedone rege, quae res est in mundo maxima. Dixerunt quidam, montem Olympum, alii solem, alii mare, intra quod terra natat. Postremus vero ac sapientissimus habitus respondit, animum terrena omnia despicientem et illis omnibus superstantem. Hujusmodi autem animus, maxime Christianis, pauperis Christi discipulis, et ad caelum natis competit, ut cum apostolo omnia terrena arbitrentur *ut stercora*, ad Philip. IV. Quod si Salomon Domino testante in hodierno evangelio cum omni gloria sua, auro vestitus et argento, non est tanti, quanti fenum agri; quis animum tam generosum et cor humanum apponat ad divitias, vilissimas terrae glebas?

V. Si non servias iis, sed domineris, libere et libenter erogando eas in pios et laudabiles usus. Hoc enim requirit Dominus in hodierno evangelio: *Non potestis Deo servire et mammonae*, inquit. Signum autem dominii est, quando herus mittit servum quo vult, et imperat ei quod vult; sicut dixit centurio, Matth. VIII. *Habeo sub me milites*, inquit, *et dico huic: Vade; et vadit: et alii: Veni; et venit*. Quod si ergo similiter animose imperes opibus tuis et dicas tuo marsupio modo: Vade et sustenta filium in studiis litterarum; modo: Vade ad domos pauperum aegrotorum, et refice esurientes; modo: Vade ad pauperulam ecclesiam, et adorna illam; idque tibi obtemperet, profecto tunc fatebor, ejus dominum te esse. Similiter si post datam eleemosynam ordinarie timeas, ne minus dederis quam oporteret, signum esse largitatis, dicebat S. Adelhardus abbas, apud Surium, tom. I. At vero si ipsa te pecunia tua mittat, modo ultra montes, modo ultra maria, modo ad has, modo ad illas nundinas pro lucro apportando: et si postquam nihil attulisti, vel eleemosynam largiorem erogasti, vel timeas ne plus dederis quam debueras: si inquam, pro his impingat tibi colaphos, torqueat te curis et in conscientia te objurget ac velut altera Dalila liget tibi manus, ne largiaris; liget etiam ac tondeat capillos ne de rebus divinis et animae salute cogites, omnem vero cogitationem ad ipsam transferas, tunc sane manifestum est te subditum esse pecuniae tuae, ab eaque veluti Samsonem a Da-

lila sua tartareis hostibus tradendum. Scimus dixisse Dominum, facilius esse camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum caelorum: hoc tamen per Dei gratiam possibile, illico subjunxit. Sed quomodo hoc possibile erit? *Camelus* Graece et camelus significat et funem nauticum crassum, quae navem anchorae sistunt. Et quidem Theodoretus existimat, de ejusmodi fune locutum esse Dominum; ut aptior sit parabola, et proportio ad acum. Jam vero quis negabit, funem nauticum quantumvis crassum, si in minuta dividatur fila, transire per acum posse? Simili ergo modo, si divitias tuas divides, partem necessariam tibi sumas, partem liberis reponas, partem egentibus divides, et cum Zacchaeo dimidium vel bonam saltem partem des pauperibus, et si quid aliquem defraudasti, reddas ei quadruplum, vel ad minimum quod debes, quidni et tu cum ipso intrabis per foramen acus et angustam caeli portam?

VI. Si non valde afficiaris, aut tristeris, quando aliquo casu eas amittis. Id quod docet se S. Job, qui postquam liberos, greges et armenta, et propriam sanitatem perdidisset, semper tamen aequo fuit animo nec aliud dixit, quam: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*. Eum secutus est S. Franciscus, qui patri contententi eum; exuere hereditate, adjecit et pallium dicens, sibi per hoc ansam offerri tanto ardentius precandi: *Pater noster, qui es in caelis*: secutus S. Bernardus abbas, qui cum ducenta argenti pondera sibi ad impensas construendi monasterii missa, a grassatoribus intercepta fuisse audisset, gratias Deo egit, quod tanto se onere levasset, Marul. I. V. c. III. secuta Elisabetha vidua Thuringiae principis quae defuncto marito a propinquis ejecta cum parvis liberis, inops, egens, vaga, et ab ingratis contempta, patientissime id tulit, ac licet ad patrem regem Pannoniae accerseretur, recusavit, adeo fortiter et constanter fortunam illam tulit, Conrad. in vita ejus.

VII. Si moderate et ad necessitatem tantum tuam illis utaris necnon ad alios laudabiles usus. Ita monet Sapiens, Prov. XXV. dicens: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi*, id est, moderate, ne forte satiatus emovas illud. Mel invenisti, cum opes acquisivisti sed si immoderate eas devores, cave ne iterum evomere cogaris, sive per inopiam ad quam redigaris sive per morbos et immaturam mortem, quam ideo incurras, juxta ad Job. XX. *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus*. Id quod experti sunt Israelitae, qui aurum suum stulte profuderunt in vitulum

conflatem: et inde nihil aliud quam mortem sibi mercati sunt, quando propterea triginta tres millia occisa sunt, Exod. XXXII. rursum quando in obsidione Ierosolymae sub Tito aurum devorarunt et propterea a Romanis intercepti et dissecti sunt, ut vel mortui redderent, quod vivi deglutiverant. Vel denique evomet in inferno, quod fecit dives epulo, cum petiit guttam aquae, et non obtinuit, sed pro ea audivit asperrimum illud verbum: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua*. O quantum procul sauciatum hac voce pectus ejus? Nonne hoc erat evomere crapulam et dies bonos praeteritos? *Mel igitur invenisti? Vide ne nimium comedas*. Muscae quia communiter non delibant mel, sed totum corpore insident, eoque se quodammodo proluunt, ideo inviscentur et intereunt. Ita res habet cum divitiis, qui si moderate delibant opes suas, non illaqueantur. Quin et in alios honestos usus erogandae sunt divitiae, velut aquae fluentes de rivandae ad irrigandos hortos et prata, in piscinas, molendina, fontes publicos, etc. non occultandae in cisternis, ubi tandem putrescunt. Unde Sapiens: *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide*, Prov. V.

Haec observate auditores, et procul omni Julio divitiarum vobis non oberunt, sed cum iis non difficile intrabit per angustam caeli januam, quod nobis impertiri velit Deus.

CONCIO VII.

QUARE VELIT DEUS SANCTOS ALIQUOS HIC FLORERE DIVITIIS ET HONORIBUS, ADEOQUE PROSPERARI.

I. Ne caduca bona putentur in se mala. — II. Ut ostendat Deus se etiam haec minima nobis non invadere. — III. Ut erigamur ad quaerendum caelum. — IV. Ne desperarent divites. — V. In consolationem pauperum.

THEMA.

Non potestis Deo servire et mammonae. Matth. VI.

Pugna inexorabilis est Christo, inquit Palatius, in c. VI. Matth. *cum avaris, potentibus et divitiis*. Ubicumque enim Christum in evangelio circa illos vel loquentem vel agentem video, semper intestinum ejus odiosum erga divitias invenio. In hoc evangelio non proprio, sed alieno nomine eas vocat *mammonam*, et Deo contra ponit quasi hostem ejus infensissimum, imo malum demonem, Luc. XVI. adhuc magis odiose *mammonam iniquitatis* appellat, quasi iniquissimum mammonam, phrasi Hebraea, et Luc. VIII. *spinas*, Luc. XII. divitem quemdam *stultum* appellat, Joan.

II. cum in templo nummulariorum aes effudit, et mensas subvertit. Denique, nulli discipulorum praeterquam Judae tradidit oculos suos Christus, quasi abjectissimam rem abjectissimo et perdito homini. Jam si ita est: Quid igitur, aliquis, tot sanctos viros Deus divites esse voluit, honoratos, potentes, nobiles, qui etiam in vita, prospera utebantur usque ad obitum fortuna? Nonne in veteri lege dives erat Abraham, quem Scriptura teste, ob auri, gregum et armentorum, servorum et ancillarum copiam vix capere poterat, Genes. XIII. et XIV. Nonne divites et felicissimi, Jacob, Joseph, Josias et alii? In lege nova, nonne ditissimi, potentissimi et felicissimi Theodosius senior, junior, Constantinus M. Carolus M. S. Henricus imperatores? S. Ludovicus, Galliae; Eduardus Angliae; Wenceslaus Bohemiae; Stephanus Hungariae reges? Si Dei hostis, si cacodaemon, si spinæ, si stultitia sunt divitiarum: si effundendae, nec homini probo credendae: cur igitur eas Deus credidit tot viris sanctis? Cur eos in mundo florere, affluere et prosperari voluit? Non una est hujus rei ratio, sed plures, ut videbimus.

I. Primam dat S. Augustinus, ep. LXX. quia aduca bona: *Ne putentur mala, dantur et bonis*. inquit Augustinus. Fuere olim aliqui qui dicebant malum et illicitum esse Christianis opes et proprium quid possidere, adeoque neminem salvari posse, qui non apostolorum et religiosorum more pauper fuerit, ut refert S. Augustinus, in lib. de haeres. cap. XL. Unde et apostolicos se nominabant, sub eodem praetextu persequeretur Christianos Julianus imp. apostata, qui teste S. Greg. Nazianzen. orat. I. in Julian. leges ferebat, ne liceret Christianis magistratum gerere, in curia militare, provinciis praesidere, gladio uti, neque se defendere, si quando opprimerentur, caederentur, aut bonis suis spoliarentur eo quod Christus ei praeciperet, caedenti se in faciem praebere maxillam alteram, tollenti pallium praebere et tunicam, angarianti se ad eundos mille passus ambulare cum eo alia duo, praesentia contemnere, humilitatem sectari, etc. Unde cum Christiani bonis suis injuste spoliati a praesidibus apud eum conquererentur, respondebat: *Vestrum est ferre cum afflictamini, hoc enim est Dei vestri mandatum*, Socrates, l. III. histor. eccles. Sozom. l. V. Quare ut ostendat Deus, opes nec in se malas nec prohibitas esse Christianis, si recte utantur, voluit consulto, vultque etiamnum aliquos etiam sanctos florere divitiis, dignitatibus, potestate et majestate. Alios ad imperia evehit, aliis opes accumulat, alios prosperitate secundat. Unde in ho-

dierno evangelio non dicit Dominus: *Non potestis servire Deo et divites esse; sed: Servire Deo et mammonæ.* Ad hunc modum egerat aliquando cum arca fœderis Dominus, I. Reg. VI. et II. Reg. VI. qui cum multas strages edidisset primo, inter Philisthæos; deinde, inter Bethsamitas; denique, cum Oza, timuerunt omnes, adeoque et ipse David, ne et sibi simile quid accideret, si arcam ad se reciperent. Quare ut ostenderet Deus, non tam arcam stragum illarum causam esse, quam homines, qui eam vel irreverenter tractarunt, uti Philisthæi, vel curiose inspexerunt, uti Bethsamitæ, vel temere contractarunt, ut Oza; divertit eam primo, in domum Abinadab, qui nihil prorsus mali ab ea passus est: deinde, post punitum Ozam in domum Obededom, cui etiam propter arcam benedixit Dominus. Quod agnoscens David, qui antea timuerat arcam ad se introducere dicens: *Quomodo ingredietur ad me arca Domini?* non jam amplius timebat, sed sine omni læsione eam ad se divertit. Similiter ne quis putet, opes et dignitates ex sua natura tantas edere in hominibus strages, quas videmus, totque homines damnare: voluit Deus dare eas multis hominibus bonis cum magna benedictione, ut sic intelligeremus, non opes per se, sed malum earum usum homines damnare, si eas nimia cupiditate quæramus, vel prodigalitate dilapidemus, etc. Philippus Alexandri M. parens, equum ferocissimum revera tamen generosum habebat, quem quia nullius domare noverat, imo nec tangere sine periculo audebat, jussit eum Philippus perdi et abjici; Alexander vero cum forte adesset: *Qualem, inquit, isti equum perdunt, dum eo per imperitiam et mollitiem uti nesciunt?* Cumque mira arte sine verberibus tractasset equum eum mitissimum sibi et obedientissimum, utilis simumque fecit ad pugnam præsertim, teste Q. Curtio, l. I. de rebus ab Alexand. gestis. Ita evenit in proposito. Cum enim videmus plurimos ac plerosque lædi, imo perdi a divitiis, honoribus, prosperitatibus mundanis, etc. causa est, quia nesciunt tractare feroces illos equos, nec sciunt uti divitiis, honoribus, prosperitatibus. Quod ut agnosceremus, monstravit nobis Deus multos Alexandros, qui noverunt regere illos equos nec solum nihil damni ab iis acceperunt, sed plurima etiam commoda, adeoque celestem gloriam iisdem sibi pararunt. Tales sunt Abraham, David, Job, S. Gregorius, S. Eduardus, S. Ludovicus, etc. qui omnes his equis usi ad cælum evecti sunt, quia caute tractaverunt. In symphonia is tantum vituperatur, qui male et dissonanter *canit*: sive tandem acuta

sive gravi voce utatur, sive cantum sive bassum canat: ita etiam Deus non nisi illos reprobos, qui in statu suo, quicumque tandem sit ille, male operantur: non qui hæc vel illa possident. Minus igitur sapiunt oppidi Babytaees, in septentrionali Tigris alveo siti incolæ, qui ut scribit Plinius, l. VI. c. XXVII. *Soli mortalium aurum in odio coeunt ac defodiunt, ne cui mortalium sit in usu.* Non enim propter abusus tollendus creaturarum usus.

II. Ut ostendat Deus, se etiam hæc temporalia et minima non invidere nobis, modo iis recte uti velimus citra nostram perniciem, et Deum præ illis deligere: quin etiam libenter ea nobis dare, si advertat ita expedire nobis ad majorem meritum cumulum. Nam ut Jacobus, c. I. ait: *Deus dat omnibus affluenter et non improperat.* Ad quid enim creasset bona temporalia et homini subiecisset, si ea illi invideret? Annon audivimus in hodierno evangelio: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis?* Non ait: Dabuntur vobis, sed adjicientur, tamquam corollaria scilicet vel auctaria, quæ gratis, non petita et facillime dantur, ut si mercator emptori ad merces coemptas addat ficum unam aut alteram, dummodo advertat ea tibi expedire vel non obesse saltem. Imitatur Deus in hæc re medicum (teste Boetio, l. IV. de consol. pros. IX.) qui ægros duos invisens, uni vinum prohibet et amaram potionem ordinat, aliter constituto optimas carnes cum vino concedit. Quod si prior conqueratur de medico, quod sibi non eadem concedat quæ posteriori, respondit medicus: *Mea nihil interest, quid tu comedas vel bibas, nam si ægrotudo tua ea ratione constituta esset, quæ ægrotudo alterius, æque libenter tibi ea concederem, quæ alteri concessi: nunc autem morbo tuo hoc competit, illud morbo alterius.* Simili ratione juxta cujusque dispositionem et capacitatem dat Deus de bonis suis tantum, quantum quisque portare aptus est, ita ut supra vires suas nemo oneretur. Unde cum videt aliquem ad bona plura administranda aptiorem esse et fortiorem (quam tamen aptitudinem et robur prius idem Deus ei dedit) ei plura tradit et super plura eum constituit: alium super pauciora, qui minorem accepit aptitudinem et minores vires. Alios igitur ad reip. gubernacula, ad honores et prosperitatem evehit, quos sufficientes huic statui, et facere posse in eo plurima bona videt, licet sciat eos ibi perituros sæpe propria ex culpa: alios per tribulationes et paupertatem deprimit, quorum novit infirmiores esse humeros, ut docet Salmeron, super c. XXV. Matth. et alii cum ipso. Similiter agit

mater, quæ uni quidem filio, qui fortioris et sanioris est stomachi, facile concedit pira vel cerasa, alteri vero cujus stomachum debilem novit, non concedit. Dicit enim ad hunc mater: *Ego tibi libenter hæc concederem et multo plura, si scirem stomacho tuo competere: sed quia contrarium scio, cupio potius tuam sanitatem et vitam, nolo ut ista tibi dentur.* Sic etiam militibus distribuuntur arma, pro cujusque virtute, robore et experientia, alii hasta, alii sclopetum, alii officium, prout quisque idoneus videtur. Recurrite mecum ad evangelium et Matth. XXV. invenietis, qua ratione Dominus distribuerit talenta sua servis, ut cum iis negotiarentur: uni enim dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum: *Unicuique secundum propriam virtutem,* inquit evangelista. In quæ verba S. Hieronymus ait: « Non super largitate aut paritate alteri plus, alteri minus tribuens sed pro accipientium viribus: quomodo et apostolus eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit. » Itaque non invidet vobis Deus, (o divites, potentes, et quicumque in dignitate estis) opes, potentiam, honores, dummodo ea non perniciem vestram vertatis. Nec vobis qui his caretis, per invidiam ea negavit; quia virium vestrarum infirmitatem consideravit, et impariorem his oneribus. Hinc populis in India constitutis aurum in copia præbuit Deus, quia illud non æstimant, nec cupide conquirunt, sed ad vitæ tantum usum necessarium adhibent. Quod si illorum exemplo non plus e bonis caducis, quam necessitatem nostram et quantum canis e Nilo, in transitu sumeremus, abunde haberemus. Quemadmodum ergo umbra insequentes fugit, fugientes sequitur: ita fere divitiæ contemptoribus sæpe dantur; amatoribus vero negantur, teste Ecclesiastico, c. XI. dicente: *Si dives fueris, non eris immunis a delicto: si enim secutus fueris, non apprehendes, et non effugies si præcurreris.*

III. Ut spem nostram erigat ad quærendum et desiderandum regnum Dei. Si enim hic in exilio dat tanta bona justis, cum videt eos sufficientes ad illa rite administranda, quid non dabit illis in patria? Si quis rex stabularios suos opipara mensa alat, vestiatur holoserico, et maximis salariis remuneret; facile omnes colligent, multo ad hæc splendideque tractari ejus aulicos et nobiles. Quamdiu in hoc mundo sumus, velut in stabulo quodam sumus? In id compacti merito nostro ut equorum nostrorum, id est, passionum et sensualitatum curam haberemus, eos perdomando et frænando. Ad laborem enim nati sumus ut piscis ad natandum, avis ad volandum, agricola ad operandum. Nonne audimus in

evangelio, nos vocari a Domino et mitti tamquam servos ad negotiandum, tamquam operarios ad operandum in vinea? Tamquam stabularios, ut ægri illius saucii, id est, proximi nostri curam habeamus? Quod si igitur stabularios, operarios et servos suos adeo laute et liberaliter tractat Deus, cum videt hoc illis non obfuturum: quomodo tractabit in cælo beatos, aulicos et nobiles suos? Quod si mercenarii illius hic abundant panibus, quid non exhibebit filio? Nimirum mactabit ei vitulum saginatum, tolambysinam circumdabit ei, dabit annulum in manu ejus, id est, mercedem æternam, visionem beatificam, dotes corporis, etc. Unde hæc temporanea bona Dominus, Matth. XXV. *pauca* vocat, respectu æternorum: æterna vero *multa*, ut exponit ibi S. Hieronymus: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Ideo etiam in hodierno evangelio temporalia justis adjicienda assertit, ut scilicet disceremus, inquit hic S. Chrysost. *Horum, quæ in præsentia dantur, nihil esse omnino magnum, si futurorum magnitudini comparentur.* Facit etiam huc argumentum illud Christi: *Considerate lilia agri:* Si enim lilia agri splendore suo superant splendorem Salomonis, multo magis lilia hortorum, quæ agræstibus floribus multo præcellunt. Justi opulenti lilia sunt agri, sancti in cælo flores horti regii. Item: *Si fenenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, id est, si homines aliquos qui sæni instar hodie sunt, cras non sunt, in hoc mundo tam splendide a Deo vestiuntur, ditantur, extolluntur, quanto magis in cælo cum immortales erunt?*

IV. Ne desperarent de salute sua divites. Cum enim res sit difficillima, ipso Christo teste, divitem beari, nihilominus id fieri per divinam virtutem posse, ostendit Deus, dum multos viros sanctos et justos ditari, exaltari et prosperari voluit, vultque etiamnum. Desperare possent divites, dum audiunt illud Christi: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum,* Matth. XIX. nisi vidissent tot exempla sanctorum opulentorum. Nunc autem cum videant ejusmodi camelos non paucos per foramen illud intrasse, Zachæum, Gregorium, Ludovicum, Eduardum, etc. bene sperare possunt, et de potentia gratiæ Dei confidere, modo ei cooperentur. Impossibile videtur contra ventum vel flumen navigare; ubi tamen videtis præcedere non paucos, qui commode sic navigarint, jam non amplius desperas. Navigant contra ventum divites, quia divitiæ ventus sunt contrarius: quod si tamen gratiæ adjumenta adsint, possunt tot equi seu adminicula gratiarum divites ad cælum trahere. Despe-

rabant filii Israel de ingressu in terram promissam, ob allatum triste nuntium : quia videlicet gigantes ibi degerent, urbes munitissimæ essent, quod terra devoraret habitatores suos, etc. unde animum abjecerunt progrediendi ulterius. Igitur ut ostenderet Deus, quam imprudenter agerent et immerito desperarent, juravit se quidem illos perempturum et cadavera eorum in deserto relicturum; parvulos autem illorum, de quibus dicebant, quod præda hostibus futuri essent, in terram promissionis introducturum, Num. XIV. Quare cum videamus Deum multos jam opulentos et potentes ad cælum evexisse, non video cur hic divites diffidere possint, modo sibi attendant et gratiæ adminicula, quæ suggeruntur illis a Deo, acceptent. Sed quoniam hoc pauci faciunt, ideo hinc maxime commendatur Dei potentia, si quem justum audias videasve, qui interim dives sit et potens, quique in mundo prosperetur. Nonne audimus psaltem, Psal. CX *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Dextra prosperitatem, sinistra adversitatem, paupertatem et tribulationem significat. Ecce decem divites pereunt, antequam unus pauper. Audiamus etiam Ecclesiasticum, c. XXXI. *Beatus dives, inquit, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic? Et laudabimus eum : fecit enim mirabilia in vita sua.* Thaumaturgi ergo sunt, miraculorum patratores sunt, quotquot justus divites sunt. Sed dic o Sapiens, unde hæc divitis justus tanta præconia? Et quænam ejus miracula? Ea prosequitur his verbis : *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo, etc.* Non est miraculum, vel quid rarum, si pauper aliquis non sit superbus, gulosus, libidinosus, ambitiosus, avarus, iracundus, iners : quia paupertas his vitiis materiam et vias non subministrat : non habet quo hæc consequatur pauper, iisque vacet. Dives habet, divitiæ enim illi aperiant januam ad hæc omnia. Rursum non est mirum, si pauper sit humilis, mitis, temperans, modestus, laboriosus, etc. quia ad hæc adigitur quodammodo a sua paupertate, nedum impeditur. At regem, divitem, nobilem esse talem, hoc vero mirum est et rarum : *Quis est hic? Et laudabimus eum.* Hæc miracula ostendit Deus in aliquibus sanctis suis : in Ludovico rege, qui pauperum nosocomia obiens, iis ministravit, et potius mortem oppetere quam lethaliter peccare, paratus erat : in S. Eduardo Angliæ, qui in tanta copia sobrietatem semper coluit, nec modo non alienum thorum concupivit, sed a proprio etiam abstinuit, et cum conjugæ perpetuam virginitatem servavit : similiter S. Henricus Baviaræ dux

et imperator cum conjugæ Cunigunde, non victus a carne aut liberorum amore : S. Stephanus Hungariæ rex, cui nocte intempesta eleemosynam pauperibus distribuenti cum barba evulsa esset ab improbis quibusdam moræ impatientibus, nequaquam tamen ultus est gravissimam hanc injuriam.

V. In consolationem pauperum. Tametsi enim vult Deus esse pauperes, non vult tamen eos deseri a divitibus, sed ali. Unde merentur Messaleni et Enthusiastæ hæretici, qui negant pauperum curam habendam, quod Deus illos ditare noluerit. Plura igitur dedit divitibus ut pauperes alere possent, sicut nutrice dantur meliores cibi, et matri lac uberius a natura, ut possit alere infantem. Divites sunt sicut venæ majores in corpore, quæ ideo sanguine abundant, ut minoribus venis eum communicare possint : sunt velut sol in cælo, qui non sibi tantum et propinquis stellis, sed etiam aliis omnibus lucet. Porro si nulli justus essent divites, sed mali dumtaxat, interirent pauperes. Impii enim et avari nil nisi seipsos amant, nil nisi sua retinere, aliena rapere norunt. Quod si nunc, ubi plurimi etiam boni divites reperiuntur, ingemiscunt pauperes, quid fieret, si nulli boni abundarent? Multi malunt perire frumentum suum, quam dare id pauperibus etiam justo pretio. Igitur voluit Deus ut patres pauperum aliqui divites forent. Talis S. Gregorius Magnus papa, qui præter trecentos sanctimonialia et innumeros pauperes, quos quotidie alebat, infinitos propemodum alios in orbe sustentabat per subdiaconos suos, quos in hunc finem amandabat, ut pauperes conquirent, alerent, vel ad se mitterent, cui cum Sabinianus illiberalis in pontificatu succederet, ideo sæpius eum Gregorius per visum increpuit, demumque in capite percussit ut paulo post obiret, Baron. anno 605. Talis Gregorius XIII. papa, qui opes Ecclesiæ, in Ecclesiæ utilitatem et salutem animarum erogavit, excitavit et dotavit collegia ad viginti, tot millia pauperum intra urbem et extra aluit, ut cardin. Baron. tom. II. anno Christi 172. narrat ei erectam a Romanis statuam in Capitolio, cum hac inscriptione : *Sæculum octingentes, singulari beneficentia in egenos distributum, id est, vicies centena aureorum millia.* Alexander V. qui ex ordine S. Francisci evehctus est ad pontificatum, adeo liberalis et effusus in pauperes fuit, ut diceret, se divitem episcopum fuisse, pauperem cardinalem, mendicum pontificem. Utinam igitur omnes pii divites et magistratus intelligerent, se ideo in eo statu a Deo collocatos ut essent patres et patroni pauperum, adeoque eo sibi nomine gratularentur, quod dispensatores bono-

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Fugiendus mammon. — II. Fugienda nimia sollicitudo. — III. Quærendum regnum Dei præ omnibus. — IV. Quærenda justitia regni Dei.

THEMA.

Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus. Matth. VI.

Recte S. Bernardus, serm. XXXIII. in Cant. historiam sacræ Scripturæ vocat hortum sponsi et paradysum Dei, primo, quia uti e paradiso manant quatuor flumina, quibus orbis terrarum irrigatur, ita e s. litteris quatuor sensus deprimuntur, litteralis, allegoricus, tropologicus, anagogicus, quibus hominum mentes irrigantur seu erudiuntur et ad virtutum fructus producendos fecundantur. Deinde, quemadmodum in paradiso arbores partim noxiæ erant, uti arbor scientiæ boni et mali, quam vitari præcepit Deus; partim salutare, uti arbores aliæ, de quibus edi jussit Deus : ita in ss. litteris reperiuntur partim arbores malæ, vitia malorum hominum, quæ caveri jubet Deus; partim bonæ, quæ sunt virtutes prosequendæ. Et vero in hujus evangelii hortulo duas imprimis reperio fugiendas arbores, duas item quærendas. Uti mox videbimus.

I. Fugiendus est primo, mammon, seu lucrum omne iniquum, mammon enim lingua Punica lucrum significat. Ratio est, primo, quia ejusmodi lucro plus perdis, quam lucraris. Perdis enim Deum, cum quo mammona iniquitatis consistere non potest, sicuti nec Dagon coram arca stare potuit, I. Reg. V. perdis itaque et expellis e corde tuo arcam, id est, gratiam, ubi intuleris Dagon seu lucrum iniquum; quia sibi contrarii sunt et contraria imperant, unde impossibile est utrique simul servire. Audi Augustinum, Psalm. CXXIII. « Lucrum fecisti, inquit, sed ut lucrum faceres, Deum offendisti? Acquisivisti aurum, fidem perdidisti. De arca gaudes, de corde non plangis? Plus perdidisti quam acquisivisti, et perdidisti quod nec naufragio tibi potuisset auferri : » et infra : « Quid ergo acquisivisti? Tolle tecum ad inferos quod acquisivisti. Cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad coronam exiret. » Sic ille. Novimus certe Dominum e templo eiecisse vendentes et ementes : cur nisi quia mammon, qui contractibus fere semper adest, coram Deo locum non habet? Certe S. Chrysostomus in eum locum Matthæi, ex eo Christi facto conclu-

rum Dei constituti sint. Historiam audiamus : « Beatus Juniperus Sancti Francisci discipulus, ut narrat Rader. pag. II. virid. c. III. invisibat aliquando fratrem ægrum in cœtu Mariæ de Portiuncula. Rogans num quid cibi gustare vellet : Ille, pedem suillum, inquit, desidero. Et Juniperus : Apparabo tibi. Currens igitur mox in agrum, invento proximo grege porcorum, proximum arripit et pede truncat : elixat et ægro adfert magna charitate. Renuntiat interim a subulco factum Juniperi hero qui inflammatus ira ad S. Franciscum properat, et fratres ejus omnes quasi mortalium hostes accusat. Franciscus rerum omnium ignarus vociferantem leni oratione placat, dolere se de facto, omnino se curaturum, ut illi de illato damno satisfiat. Ubi digressus accusator, accersit Franciscus familiam totam, et sollicitè quærit equis tantum nefas sit ausus designare. Juniperus auctorem se fatetur et ex officio commiserationis erga decumbentem se fecisse, et mirari se vehementer quemquam facto tam pio potuisse offendi. Et Franciscus : O Junipere, quanta nos invidia et calumnia onerasti, jam ille abs te læsus per totam urbem apud omnes nos traducet. Abi ergo, et ad pedes illius abjectus, culpam deprecare, pacem ora, et te satisfacturum copiose pollicere. Faciam pater, inquit Juniperus, hoc tamen non intelligo (nempe sua bonitate metiebatur omnes Juniperus) quomodo quisquam dolere possit ob præstitum ægroti beneficium, cum omnia præsentia nihil mortalibus prosint, nisi ad usum charitatis mutue impendantur. Abiit ergo, et reperto læso, abs se factum quod ægre ferret, confitetur, sed esse quod sibi gratuletur quando potuerit benefacere alteri de suis bonis. Hic alter magis excandescens conviciis et maledictis lacerare Juniperum, fatuum et fanaticum vocitare, aliisque indignis modis incessere. Juniperus ratus hominem non percepisse, quod ipse dixisset, cepit iratum complecti amicissime compellare, rogare ut secum sibi gratuletur de tam sancto opere charitatis. Flexit interim Deus ferocem leonem, ut simplicem Juniperi animum attenderet, quem admiratus, non indulsit modo veniam, sed porcum cæsum et ante apparatus Francisci et Juniperi cum cæteris absumendum dono misit. Ita Juniperus pio facto alterius levavit ægrum corpus, simplici verbo alterius curavit ægrum animum. »

Quare auditores laudamus Deum in operibus suis, qui et pauperem creavit et divitem, utrumque magno ipsorum bono, si sua sorte contenti esse et recte uti velint, quod largiatur ipsi Deus.

IV. PARS FESTIVALIS.